

4) An retineant libros distinctos, in quorum primo resolutiones societatis legitime congregatae registrentur; in secundo nomina et cognomina confratrum; in tertio revisiones computorum et sententiae absolutoriae seu commendatoriae administratorum et aliorum officialium societatis necnon decreta visitationum.

5) An habeant archivium scripturarum?

6) An sint aggregatae archiconfraternitatibus Urbis vel habeant alia indulta et privilegia?

7) An confratres debitores societatis bona et introitus ejusdem administrent?

8) An bona stabilia societatis locentur absque praevio edicto et ultra triennium?

9) An intersint processionibus publicis?

(*Monacell. t. I. in append. in fine, et t. IV. suppl. ad 1. t. post n. 207.*)

20) Convisitatores.

Vd.: *Visitatio Episcopi* (comitatus; modus num. 12.)

21) Decani ruralis.

Vd.: *Visit. Vicarii foranei.*

22) Decretorum Episcopi visitantis auctoritas.

Vd.: *Visitatio Eccles. par. et cur. regul.* (decr. *Lycien* diei 23. Junii 1725): *Visitat. Episcopi* (Jus et Oblig., decr. *Pacen.* diei 15. Jan. 1729. decreta etc.)

23) Decretum Visit. vim legis habet.

Decretum utpote editum in s. Visitazione vim legis habere censent *Gonzal.* ad reg. 8. cancell. gloss. 9. § 1. num. 18., *Massubr.* de Synod. cap. 4. num. 41.

(Ex resol. S. C. C. diei 21. Junii 1788. *Asculana.*)

Ad dub.: Num aestimari debeat decretum visitationis, quod usu ab in-

itio receptum non demonstratur longaque ultra quadragenariam neglectum apparet? Pro negativa est sententia *Fagnan.* in lib. decretal. cap. *Treugas* num. 69. de *Treug. et Pac.*

(*Ibid.*)

Decretum in visitatione latum maximi faciendum esse dixit Rot. in Rex. decis. 90. num. 16. et coram Emer. sen. decis. 105. num. 1.

Die 21. Apr. 1787 *Aquipendien.*

Episcopus visitando Ecclesias curatas exemptas vel Regularibus subjectas potest facere decreta in iis, quae concernunt rectam administrationem et custodiam Sacramentorum, et quatenus decreta discrepant ab illis, quae fecerunt Superiores exempti seu Regulares, debent ordinationes Episcopi praevalere et observari. S. Congr. Concil. in Veronen. 10. Julii 1628 in Mediolanen. 12. Novembris 1659 et Congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII. in causa Hispalen. 30. Jan. 1694 in respons. ad 6. et relata in Congr. generali 18. Augusti 1696.

Visitatio pastoralis et executio decretorum in ea editorum Episcopis omnibus inculcatur. Benedictus XIV. tom. 1. constitut. 2. incip.: *Ubi primum* § 6. et constit. 140. incip.: *Gravissimum* § 18.

Tuentur sane Canonici decretum Archiepiscopi ex antiquissimo altero Visitatoris apostolici, cujus maxima est auctoritas, quasi ab ipso Pontifice delegante prodissent, *per text. in leg. disputare Cod. de crimin. sacrileg.*

(Ex resol. S. C. C. diei 13. Junii 1795 *Firmana.*)

Pluries in sacris Visitacionibus quotidianum Missae conventualis applicationem pro Benefactoribus in genere mandarunt Episcopi, licet non semper

24) Decretorum forma.

Vd.: *Visit.* (finis.)

a) In fine Visitacionis locorum.

Nos NN. Ecclesiarum S. M. Visitantes mandamus, ut infra:

Quod Tabernaculum SS. Eucharistiae vestiatur intus serico panno. Quod etc.

Supradicta fiant intra spatium mensium duorum vel sex etc. sub poena etc.

Ita pronunciamus et declaramus Nos NN. Dat. die etc. Gratis etiam quoad scripturam. N. Notarius.

b) Forma decretorum in fine Visitacionis personarum.

Nos N. N. visitato choro loci N. decrevimus ut infra:

Quod N. N. ob ejus notabilem ignorantiam abstineat ab altaris sacrificio, donec instruat.

Quod N. N. qui duo habet beneficia sub eodem tecto in Ecclesia S. N. infra duos menses peremptorie a die publicationis hujus decreti debeat obtinuisse dispensationem a s. Sede apostolica et praesentasse in Curia episcopali, alias, elapso dicto termino, possint dicta beneficia aliis conferri: et sic de aliis: subscribat Visitator et Notarius, qui adhibitis duobus testibus unicuique praedictorum ad se vocato evulget, vel, si sit absens, ad valvas Ecclesiae decretum affigat.

Idem fiat cum debitoribus locorum piorum et administratoribus non absolutis.

c) Forma profanandi altaria et Ecclesiam ex actis eccles. Mediolanen. Concilii IV. Prov.

Primo, si quae sacrae reliquiae ibi sunt diligenter reconditae, transferuntur, quo voluerit Episcopus, vocata clero vicino et populo, si corporo sunt aut insignes reliquiae.

hujusmodi mandatis Canonici paruerint contra notissimas Ecclesiae leges jubentes, ne interposita quidem appellatione suspendi posse executionem decretorum, quae ab Episcopis in s. Visitacione fuerint edita. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 10. de ref.; Ben. XIV. Const.: Ad Militantis.*

(Ex res. S. C. C. diei 19. Apr. 1823 *Camerinen.*)

Visitator si juris non adhibeat solemnitates, nullius roboris evadere ejus decreta, *Card. de Luca in annot. ad Concil. Trid. disc. 5. n. 5., Ursaya discept. eccles. 2. part. 11. n. 49., Rota cor. Molin. tom. 1. dec. 284. num. 4.*

(Ex res. S. C. C. diei 14. Maii 1825. *Nullius Foropompilii.*)

Decreta in s. Visitacione edita vim legis obtinere censentur, *Gonzal.* ad Reg. 8. cancell. gloss. 9. §: 1. num. 18., *Massubr.* de Synod. cap. 4. n. 4., S. Congr. in Asculana 21. Junii 1788. §. Res.

(Ex res. S. C. C. diei 14. Apr. 1832. *Nullius Foropompilii.*)

Quae enim decreta per Visitatorem apostolicum feruntur, ea oportet, omnimodam nanciscantur observantiam, perinde ac si ab ipso Pontifice delegante prodissent ceu probat *text. in leg. disputare cod. de crimin. sacrileg.* et perpendit s. Congr. in Firmana 13. Junii 1795 §: Tuentur.

(Ex res. S. C. C. diei 14. Apr. 1831 *Reatina.*)

Visitatoris apostolici decreta omnimodam nancisci debent executionem, perinde ac si ab ipso Pontifice delegante prodissent, *ex text. in leg. disputare cod. de crimin. sacrileg., s. Congr. in Firmana 13. Junii 1795 §. Tuentur.*

(Ex res. S. C. C. diei 14. Aprilis 1832. *Nullius Foropompilii.*)

Sacrae item imagines eo transferantur. Tum aliquantisper genibus flexis ante altare profanandum tacite orans Visitator seu Rector Ecclesiae orationem de Sancto dicit alta voce, cujus nomini altare dicatum est; tum ab omni parte illud detegat, lapidem consecratum evellat sine fractione, tum manibus suis lavet atque abstergat aqua in sacrarium fusa: demum ab operariis reliqua pars altaris amovetur. Si plura altaria sint profananda, *idem fiat ad singula.*

Altaribus amotis fidelium ossa exhumantur unoque loco collecta repnantur, praesente Rectore, qui tacite orans ante altare majus, deinde cum clero et populo vicino procedente, jubet ea ad locum efferrī destinatum, cum psalmis et precibus pro Defunctis ubi, si licet, celebretur missa pro iisdem.

Denique diruatur ab operariis et crucis insigne ibi figatur, ex Trid. Sess. 21. cap. 7. *Idem fiat caementariis profanandis.*

d) Formulae nonnullae criminales, quae in Visitatione frequentius accidunt.

I. Contra non residentem aut non deferentem habitum clericalem.

Mandato multum R. R. D. N. N. Visitatoris etc. citentur ad valvas Ecclesiae N. per quemlibet nuntium N. N. Filius N. ejusdem Ecclesiae curatus, ab ea absens ultra annum etc., vel in habitu non incedens clericali, quatenus die . . . non compareat coram reverend. D. Vicario generali loco solitae audientiae ad videndum se privatam declarari beneficio et fructibus etc. et circa haec opportuna fieri etc., aliter etc. Datum N. die etc.

Visitator.

Die etc. detulit mihi Notario Visitationis N. Nuntius publicus medio ejus juramento praesentaliter etc. se

affixisse et affixam reliquisse citationem suprascriptam in valvis etc.

N. Not. Visitat.

II. Contra concubenarios seu infames etc.

Devenit ad notitiam R. D. Visitatoris, qualiter N. N. ab anno citra (ultra) stetit et stat de praesenti in concubinato publico cum N. etc. in scandalum, etc. propterea, etc. ordine praefati D. Visitatoris, vocati praedicti et summarie examinati, dixerunt etc.

Vel citantur omnes infrascripti coram R. D. Visitatore in aedibus parochialibus etc., ubi elegit etc. pro die crastina, hora . . . ad docendum se confessos esse peccata sua et in Paschate proxime praeterito sumpsisse etc., alioquin citantur coram Vicario generali pro die . . . juridica etc. ad videndum se interdicti etc. et alia fieri etc. Dat. . . die etc.

Citantorum nomina sunt haec:

N. N.

Si fateantur coram Visitatore, prohibeat concubenarios sub poena centum aureorum etc., excommunicationis in subsidium etc.

Si acceptent mandatum, jubeat praestare fidejussionem, etc.

Contra Absentes fiat ut supra, assignatis terminis tribus, et affixo mandato ad valvas Ecclesiae.

III. Contra eos, qui negligunt executiones ordinationum.

Mandato R. D. Visitatoris moneatur Venerab. Presb. N. Rector N. quatenus termino trium dierum, quorum primus pro prima monitione, etc. post harum praesentationem poena suspensionis ipso jure incurrenda, solvisse debeat in manibus N. scuta . . . pro executione ordinationum in visitatione dictae Ecclesiae factarum, quas adimplere neglexit. Datum etc.

IV. Contra debitores locorum piorum. Mandato, etc. ut supra mutatis mutandis forma sequestri pro executione ordinationum.

Mandato etc. praecipitur infrascriptis debitoribus, etc. bonorum spectantium ad Eccles., quatenus penes se in sequestrum teneant, etc. omne et totum id quod etc., neque partem aliquam eorum alicui relaxent absque expressa licentia R. D. V. et haec pro executione ordinationum factarum faciendarumque et omnia haec sub poena iterum de proprio solvendi et scutorum 50 locis piis etc. et excomm. in subsidium etc. Dat. etc.

V. Forma relaxationis sequestri.

Mandato etc. praecipitur infrascriptis nominatis colonis etc. R. N. debitoribus, penes quos omnes singuli fructus, ficta et pecunia spectantia ad D. R. N. ratione beneficij etc. sequestrata fuerunt de mandato ejusdem R. D. V. die . . . mense . . . anno . . . quatenus statim habito praesenti praeecepto et sine aliqua exceptione relaxent omnia penes eos sequestrata etc. attenta cautione et promissione per D. R. N. praestita de stando jure etc. et de exequendis ord. etc. haec sub poena cuilibet contrafacienti scutorum 100 locis piis etc. necnon excommunicat. in subsidium.

Dat. etc. quorum praeciendorum nomina sunt: haec N. N.

Gavant. Merat. tom. V. p. 76—78. (Ed. Venet. 1823.)

25) Per Delegatum.

Vd.: *Visit. Episcopi* (Delegatus, Subdeleg.); *Visit. Capituli cath.*

26) Dignitatis exemptae.

Visitare potest Episcopus Dignitatem exemptam in concernentibus curam

animarum illi annexam. S. Congreg. Concil. in Burgen. 18. Aug. 1628 apud *Barbosam* summa apost. decis. verb.: *Visitare*, quando et quae Episcopus valeat num. 14.

27) Dioecesium Suffraganeorum.

Metropolitani olim post plene visitatam propriam dioecesim poterant etiam visitare dioeceses suorum suffraganeorum, sed hodie hoc amplius non possunt, nisi ex causa cognita et probata in concilio provinciali vel a sacra Congregatione: Concil. Tridentin. cit. sess. 24. cap. 3., Sacra Congregatio Episcop. in Cajacen. et Theanen. 22. Aprilis 1603 apud *Nicol.* in *Floscul.* verb.: *Visitatio ordinaria* n. 2.

Visitatio Ecclesiarum Cathedralium et Dioecesium Episcoporum a Metropolitanis fieri non permittitur nisi de mandato Conc. provinc.: Bened. XIV. constitut. 98. incip.: Inter plures §. 18.

28) Doctrinae christianae.

Vd.: *Visit. Poch.*

In Visit. doct. chr. est inquirendum:

1) An in Cathedrali aliisque Ecclesiis paroch. reperiantur erectae sodalitates doct. christ.?

2) An adsint peccatores publici, puta Concubinarij, Sortilegi, Usurarii, Blasphemi, Lamiae, Conjuges separati absque licentia, Evulgantes erroneas et falsas propositiones ac damnatas ab Ecclesia doctrinas?

3) Confessarii tam saecular. quam regul. absolventes a reservatis absque Episcopi expressa facultate, haeretici aut de haeresi suspecti?

4) An in Ecclesiis paroch. et aliis, in quibus sodalitates sunt erectae, edoceantur pueri et puellae in his, quae pertinent ad mysteria fidei et bonos mores?

(*Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.*)

29) Ecclesiae Colleg. per Vicar. cap.

Vd.: *Visitatio Episcopi* (Jus et Oblig., decr. Pacen. diei 15. Jan. 1729.) *Visit. Archidiacon.*

Calaguritana.

(Conc. Tr.C. 4. S. 6. de Refor.)

Ecclesia Collegiata s. Mariae della Redonda Oppidi Lucrony, Civitas nuncupati, alias subjecta jurisdictioni Episcopi Calaguritani ac etiam Capituli Cathedralis, de tempore tamen sedis vacantis, obtinuit de anno 1727 a san. mem. Benedicto XIII. annuente eodem Episcopo ac praevio voto hujus sacrae Congregationis indultum insignitatis cum omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, quibus aliae Collegiatae insignes regnorum Hispaniarum de jure, usu, consuetudine, privilegio (non tamen particulari) aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, necnon quod eadem Ecclesia illiusque Decanus, Dignitates, Canonici, Beneficiati et Capellani, visitari deberent juxta dispositionem Concilii Tridentini sess. 6. cap. 4. de reform. visitatione nempe particulari per pro tempore existen. Episcopum Calaguritanae, prout Episcopi per se ipsos Ecclesias cathedrales et collegiatas visitare tenentur et debent ad formam praedicti Concilii Tridentini. In vim hujusmodi insignitatis cum se jactaverint capitulum et Canonici praefatae Collegiatae, quod non possent nec deberent ipsi eorumque Ecclesia visitari per Capitulum Calaguritanum aut ejus Vicarium capitularem, sede episcopali vacante, idem Capitulum Cathedralis habuit recursum ad Auditorem Sanctissimi pro aperitione Oris adversus praefatum Breve insignitatis tanquam subreptitiae obtentum et sibi summopere praejudiciale; remissa tamen causa huic sacrae Congregationi cum clausula: *de aperitione Oris ejus arbitrio, firmo interim remanente*

Breve quoad insignitatem, proponuntur infrascripta duo dubia ad instantiam ejusdem Capituli Calaguritani praetendentis dandam esse aperitionem Oris ex capite subreptionis Brevis necnon praejudicii ei provenien., vel declarandum, quod non obstante dicto indulto insignitatis eidem Capitulo vel ejus Vicario sede vacante competat jus visitandi Ecclesiam Collegiatam illiusque Dignitates et Presbyteros ex rationibus late adductis in scripturis ejus nomine circumferendis.

Quoad jus visitandi competens Vicario capitulari sede vacante sacra Congregatio in Ostunen. 28. Julii 1708 ad dubium propositum: *an et quando Vicarius capitularis posset visitare?* respons. dedit: *Affirmative post lapsum anni — ut lib. 53. Decret. fol. 266. Et magis in specie de visitatione Civitatis ac Capitularium Ecclesiae Cathedralis, quae non nisi per ipsum Episcopum visitari debeat ex Concilio in dicto cap. 4. sess. 6. de reform. resolutum fuit in Salernitana. . Octobris 1589 lib. 6. fol. 81. tergo, ubi resolutum fuit: Posse Vicarium capitularem visitare Ecclesiam Salernitanam et Dioecesim; et clarius in dubio visitationis 13. Sept. 1721, ubi quaesito:*

I. An Vicarius capitularis Scordonen. facere possit visitationem Civitatis et dioecesis? II. An facere possit visitationem personalem Capitularium in casu? rescriptum fuit ad primum et secundum: *Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimae visitationis peractae ab Ordinario. Ut lib. decret. 71. fol. 397. terg. et 398.*

Jura Capituli Collegiatae non adhuc sunt deducta. Dignabuntur itaque EE. PP. definire:

1. An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc.? et quatenus negative;

2. An Capitulo Cathedralis Ecclesiae Calaguritanae sede vacante ejusque Vicario capitulari competat jus visitandi Ecclesiam s. Mariae della Redonda ejusque Dignitates et Presbyteros in casu etc.?

S. C. resp.

Ad primum: Negative.

Ad secundum: Affirmative et amplius.

Die 30. Sept. 1730.

30) Ecclesiae Confraternitatis.

(Conc. Tr. S. 7. C. 7. De ref.)

Ad dub.: An Episcopo competat jurisdictio cum jure visitandi capellam societatis alicujus?

S. C. C. resp.: Affirmative ad formam decreti in Nucerna Paganor. 23. Julii 1629.

Die 30. Sept. 1730. *Spolet.*

DECRETUM NUCER. PAGAN.

„S. C. inhaerendo declarationibus alias factis censuit confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium exempt. institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse, necnon illarum capellas in eisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt. Et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinarum officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem confratrum relationem habent.“

Idem decretum fuit die 23. Sept. 1690 *Urbanien.*; 4. Aug. 1714 *Firmana*; 7. Apr. 1731 *Ravennat.*

Episcopum jus visitandi habere confraternitates laicorum erectas in Ecclesiis regul. exemplis ejusque jurisdictioni illas subesse; censuras quoque Episcopum jure suo ferre posse in monachos impediennes visitationem.

Die 21. Junii 1732. *Murana.*

Ad dub.: An possit Episcopus seu Vicar. gener. visitare altare Confraternitatis ss. Rosarii existens in Ecclesia conventus PP. s. Dominici?

S. C. C. resp.: Dentur decreta.

Die 16. et 30. Mart. 1715.

Ad dub.: An liceat Episcopo Sutrino visitare Hospitale et Oratorium Discipulorum Roncilionis?

S. C. C. resp.: Affirmative jure ordinario.

Die 7. Dec. 1715 ad 1 et 2. *Sutrina.*

Ad dub.: An confraternitates laicales erectae in altaribus Ecclesiarum paroch. Abbatiae s. Laurentii in Dogliolo subiaceant visitationi, directioni et jurisdictioni Episcopi?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 21. Jan. et 4. Febr. 1719.

Firmana.

(Conc. Tr. C. 8. 9. S. 21. De ref.)

Jam pridem laicalis confraternitas sub invocatione sanctissimi Rosarii erecta in conventu parvo minorum conventualium s. Francisci oppidi s. Elpidii praetensionem excitare coepit super exemptione ab ordinaria jurisdictione potissimum quoad liberam absolutamque proventuum ac piorum legatorum administrationem. Hinc instaurato judicio in tribunali A. C. super executione et observatione constitutionis 86. s. Pii V. incip. „*Consueverunt*“ §. 5., in quo sancitur hujusmodi confraternitates licite et libere

posse in pios earum usus convertere oblationes et legata quaecunque etiam ordinarii loci licentia desuper minime petita, jam dicta confraternitas sententiam favorabilem reportavit, unica eadem parte informante. His excitatus promotor fiscalis curiae archiepiscopalis Firmanae recursum suppliciter habuit ad R. P. Auditorem SS. D. N. qui causam ejusmodi ad s. EE. PP. consessum rejecit. Impraesentiarum itaque promotor ipse fiscalis inixe contendit, quod praememorata societas nullatenus constabilire possit praetensam exemptionem et libertatem, potissimum quoad visitationem et bonorum administrationem inter alia sedulo attentam praetensa observantia super jurisdictione exercita nedum quoad confraternitatem, sed quidem in ipso parvo monasterio. Considerandum itaque superest: num Archiepiscopus et quonam jure, ordinario nempe vel delegato, jurisdictionem explicare possit tum in visitationibus hujusce confraternitatis cum etiam in administratione sive exactione rationum ipsius bonorum sub infrascriptis concordatis dubiis, quae sapienter resolvere EE. VV. dignabuntur ex latius utriusque adducendis:

I. An Archiepiscopus Firmanus possit visitare confraternitatem ss. Rosarii erectam in conventu PP. Conventualium s. Francisci terrae s. Elpidii?

II. An Confraternitas praedicta possit administrare omnes proventus dictae confraternitatis absque assensu Ordinarii?

Et quatenus affirmative,

III. An Confraternitas teneatur reddere rationem de dicta administratione praefato Ordinario?

S. C. C. resp.: In Omnibus affirmative et amplius.

Die 7. Julii et 5. Aug. 1714.

Maceraten.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. De ref.)

Episcopus Maceraten. in visitatione facta anno 1625 Ecclesiarum et piorum locorum castris Urbisagliae suae dioecesis visitavit Ecclesiam sub titulo s. Mariae Misericordiae, cumque haec Ecclesia fundata praetenderetur in solo Lateranensi, eam visitavit sine praedictio quorumcumque jurium sibi uti Ordinario competentium, cumque confraternitas laicorum praedictam gubernet Ecclesiam a se, uti dicitur, aedificatam, confraternitatem auctoritate ordinaria visitavit, cumque exhibitis libris administrationis bonorum nonnullos invenisset administratores absolutos in reditione rationis a Vicario Capituli Lateranensis Tolentini degente, eos novae redditioni rationis subiecit et Vicario inhibuit, ne se in posterum in hisce actibus jurisdictionalibus ad episcopalem auctoritatem pertinentibus immisceret habitoque adversus hoc decretum recursu a Capitulo Lateranensi causa remissa ut ad hanc s. Congregationem.

Quoad confraternitates existentes in Ecclesiis regularium pluries resolutum fuit ab hac s. Congregatione: eas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi et eas ab ipso visitari posse, necnon illarum capellas, in his tamen, quae respiciunt administrationem dictar. confraternitatum, necnon altare, si dictis confraternitatibus incumbit onus illud manutenendi, et decreta fuerunt a me per extensum relata in causa Consentinae visitationis, censurarum, quae fuit apposta in Congregatione habita die 19. Septembris 1732.

Quoad confraternitates erectas in Ecclesiis sitis in solo Lateranensi nonnullae aliae adsunt resolutiones; praetendente etenim confraternitate sanctissimi Sacramenti civitatis Anco-

nae se esse exemptam a jurisdictione Episcopi et subjectam Vicario Basilicae Lateranensis et constituente suum fundamentum in donatione facta anno 1535 Capitulo cujusdam domus, in qua constructa fuit Ecclesia, et in aggregatione facta anno 1597 et excipiente Episcopo, obstare constitutiones apostolicas Clementis VIII. et Pauli V. et pluries eam visitatam fuisse a suis praedecessoribus, propositum fuit in Congregatione habita die 8. Martii 1681 sequens dubium: „an eminentiss. Episcopo Anconae competat jus ordinarium vel delegatum super dicta confraternitate et Ecclesia? Et in Congregatione habita die 22. ejusdem mensis et anni rescriptum fuit: competere eminentissimo Episcopo jus ordinarium, uti habetur libro 31. decr. pag. 352. et pag. 363. et licet die 26. Aprilis 1687 fuerit recessum a decisio quoad Ecclesiam, et dictum, quod iterum proponeretur quoad confraternitatem, causa tamen deinde nullum alium habuit progressum.

Item cum die 19. Februarii 1701 proposita fuisset causa Miletan., in qua deputatus a Capitulo Basilicae Lateranensis Ecclesias sitas in solo basilicae et confraternitates in eis erectas visitaverat, in revisione computorum pecunias exegerat, disputatum fuit tertio loco sequens dubium: „an praedictus Vicarius Lateranensis in dicta dioecesi Miletensi possit revidere computa et visitare libros administrationis reddituum societatum laicarum erectarum in eisdem Ecclesiis et an pro dicta computorum revisione possit recipere a dictis societatibus aliquod emolumentum seu mercedem? Et huic dubio die 23. Apr. ejusdem anni rescriptum fuit: negative ad utrumque, uti habetur libro 51. decr. pag. 97 et pag. 211.

Causa reposita fuit die 29. Apr. 1702, et in eo quod attinet ad dictum

tertium dubium, in congregatione habita die 13. Maji ejusdem anni rescriptum fuit: *In decisio quoad primam partem, praeterquam quoad archiconfraternitates erectas auctoritate Capituli, et quoad secundam: in decisio, uti habetur lib. 52. decr. pag. 160. et pag. 190.*

Haec ipsa causa Miletan. ad ulteriora progressa est et instante capitulo Lateranensi dubia mutata fuerunt, quocirca in Congregatione habita die 17. Nov. 1706 proposita fuerunt haec dubia, primo: *An sine subdelegatione speciali subdelegatus ab Episcopo ad visitandam dioecesim possit visitare ecclesias, confraternitates et loca pia fundata in solo Lateranensi?* Secundo: *An dicta subdelegatio specialis debeat a subdelegato ostendi et inseri in actis visitationis?* Tertio: *An Episcopus vel ab eo subdelegatus teneatur declarare expresse se visitare jure delegato?* Et ad primum responsum fuit: negative, etiam quoad confraternitates erectas auctoritate capituli; ad secundum et tertium: affirmative, uti habetur lib. 53. decr. pag. 482 et pag. 486 a tergo.

Jura circumferuntur; unde onus erit EE. VV. decernere:

An Episcopus Maceraten. possit jure ordinario visitare confraternitatem sub invocatione s. Mariae Misericordiae, erectam in Ecclesia ejusdem tituli sita in castro Urbisagliae, quamvis in solo Basilicae Lateranensis aedificata sit in casu?

S. C. C. resp.? Affirmative.

Die 26. Apr. et 10. Maji 1727.

(Conc. Tr. c. 8. S. 7; C. 9. S. 22. De ref.)

In quodam Capella, sita in Ecclesia PP. Minorum Conventualium Terrae Montis Leonis ac exstructa in solo Lateranensi erecta, reperitur ab antiquissimo tempore Sodalitas seu pia Adu-

nantia Mulierum sine sacco, sub invocatione sanctissimae Conceptionis, habens certas regulas et statuta, praecipue quod Abbatissa eligenda ex sororibus conservaret ac distribueret Eleemosynas, ac etiam quod qualibet prima Dominica cujusque Mensis congregare deberet sorores in Ecclesia ad effectum auscultandi Sacrum ac recipiendi oblationem unius Panis vel Obuli; ulterius qualibet die Lunae post primam Dominicam in mense teneatur celebrare facere unam Missam pro animabus Sororum defunctorum ac aliam Missam in omnibus Festivitatibus B. Virginis, ac insuper quod singulae sorores debeant aliquid relinquere Adunantiae, dummodo relictum non sit in minori summa trium librarum caerae laboratae, prout latius ex dictis statutis, quae dantur impressa.

Praedicta Societas fuit de anno 1619. aggregata Venerabili Archiconfraternitati ss. Laurentii et Damasi de Urbe, cum communicatione omnium Privilegorum et Indulgentiarum ad formam notissimae Constitutionis Clement. VIII., cujus tenor fuit in aggregatione insertus.

Cum aliqua pars Eleemosynae ac oblationum praefatae Societatis erogarentur in beneficium Ecclesiae PP. Minorum Conventualium, praecipue pro manutatione Lampadis accensae ante Capellam Sanctissimi Sacramenti ac pro lintheaminibus necessariis pro celebratione Missarum injunctarum in constitutionibus praedictae Societatis Episcopus Spoletanus in actu Visitationis factae de anno 1720 mandavit, quod in vim Bullae aggregationis Societatis in alios usus erogare non deberet ejus redditus ac eleemosynas quam in commodum ipsius Capellae, prohibens manutationem dictae lampadis aliasque expensas fieri solitas in Ecclesia PP. Conventualium; ac ulterius

mandavit celebrari Missas in Capella Societatis in solis Festivitatibus designatis in dicta Bulla Aggregationis, ad cujus quoque tenorem voluit impostum promulgari Indulgentias.

Appellarunt PP. Conventuales ab hujusmodi decretis ad A. C. Sed remissa per causae auditorem Sanctissimi huic s. Congregationi, proponuntur hodie infrascripta dubia ad instantiam eorundem PP. praetendentium, haud consistere dicta decreta et quod nullum jus competat Episcopo visitandi dictam Capellam Societatis tanquam mere laicalis et constitutae ad solum finem exercendi spontanea opera pietatis et devotionis non obstante praefata aggregatione, quae obtenta fuit a quodam asserto Procuratore Confraternitatis, de cujus tamen mandato procurae non constat; ac etiam quia asserta aggregatio nunquam habuit effectum, et demum contendunt attentatam fuisse Visitationem nuper factam a moderno Episcopo, pendente lite, ut latius ex scriptura eorum nomine circumferenda.

Circa jus visitandi Confraternitates, erectas in Ecclesiis Regularium ad sunt plura decreta hujus s. Congregationis, nedum antiquiora. In Nullius Januar. 1598. et Guardian. 1600. lib. 9. Decret. fol. 49 et 105., sed magistrale est illud editum in Nucerina Paganorum 23. Jun. 1629. lib. 14. fol. 114. terg. sequentis tenoris: S. Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit confraternitates Laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse Jurisdictioni et Visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse necnon illarum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt, etsi confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare et illius cultum, Episcopum posse visitare

circa ea, quae respiciunt ipsam manutationem, cultum et ornamenta Altaris seu Capellae, onera Missarum, atque divinatorum Officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent — et ad istius normam resolutum quoque fuit in Urbani. Visitationis Capellae 23. Sept. 1690. lib. 40. fol. 657. terg. et in Firmana Jurisdictionis proposita 7. Jul., et resoluta 4. Aug. 1714 ad primum lib. 64. fol. 276. terg. et fol. 303.

Non gravabuntur itaque EE. VV. ea summa, qua pollent, sapientia discernere:

I. An decreta seu provisiones Episcopi Spoletani substineantur in casu?

II. An Episcopo competat jurisdictione visitandi capellam, de qua agitur in casu?

III. An constet de attentatis et quomodo sint purganda in casu?

S. C. resp.:

Ad I.: Affirmative.

Ad II. Affirmative ad formam decreti in Nucerina Paganorum 25. Jul. 1629.

Ad III.: Negative et amplius.

Die 30. Sept. 1730.

Ravennaten.

(Conc. Tr. C. 8. C. 9. S. 22. De ref.)

In Civitate Ravennatensi adest Ecclesia s. Appollinaris Patrum Minorum s. Francisci de Observantia, in qua residet sodalitas s. Antonii Patavini, quae in Altari ejusdem Sancti, lapidibus seu marmoribus etiam pretiosis ornato, plura pietatis opera exercet ac varia suppellectilia ad ornamentum dicti Altaris construxerat, putans dictum Episcopum Ravennatensis, putans dictum Altare, quamvis in Ecclesia regulari existens, ejus Visitationi subjectum esse, requisivit hujus Sacrae Congregationis oraculum, a qua sub die

25. Sept. anni 1728 rescriptum obtinuit: Quod ipse uteretur jure suo ad formam decretorum alias editorum in *Nucerina Paganorum* 23. Jun. 1629. et in *Urbani. 23. Sept. 1690.*

Decretum Sac. Congregationis in dicta Nucerina Paganorum, cum quo procedere debent Episcopi in Visitatione rerum seu altarium — spectantium ad Confraternitates, non inutiliter transcribitur, ibi: „Sacra Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse necnon illarum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt, et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare et illius cultum Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutationem, cultum et ornamenta Altaris seu Capellae, onera Missarum atque divinatorum Officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem Confratrum relationem habeant.“ Cumque ex decreto superius allato resultet Visitationem peragi posse quoad ea, quae administrationem Confraternitatum respiciunt et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent, hinc sacra Congregatio ad casum propositum a dicto Archiepiscopo sub die 28. Jul. anni praeteriti rescripsit: „Quod exhiberetur Instrumentum erectionis Confraternitatis: ex qua erectione appareret, super quibus versaretur ejus administratio et respective ad quae extendabatur obligatio Confraternitatis. Modernus Archiepiscopus loco transmittendi dictam erectionem, exhibuerat fidem Archivistae ac etiam Cancellarii ejus Curiae deponentium dictam erectionem non invenisse, sed